Lane Medical Library

# DE DIABETE MELLITO.

## DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
*DIE XXIX. M. MARTII A. MDCCCXXXVIII.*
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR
**THEODORUS MICHAËLIS**
PARTHENOPOLITANUS.

OPPONENTIBUS:

G. MICHAËLIS, PHIL. DR.
E. CARP, MED. ET CHIR. DR.
G. LEUSCHNER, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXPERIENTISSIMO,
HUMANISSIMO

# F. L. TRUESTEDT,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI P. E. IN UNIVERSITATE LITTERARUM FRIDERICA GUILELMA, BORUSSORUM REGI A CONSILIIS MEDICIS SUPREMIS INTIMIS, COLLEGII SUPREMI AD REGENDAS RES SACRAS, MEDICAS ET INSTITUTIONEM PUBLICAM, NEC NON COLLEGII EXAMINUM HABENDORUM SUPREMI MEMBRO, INSTITUTI POLICLINICI DIRECTORI, ORDINUM REGIORUM DE AQUILA RUBRA ET CRUCE FERREA EQUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI ETC. ETC.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Vir illustrissimus Trüstedt praeceptor meus summe venerandus quum aegrotam diabete laborantem mellito curis meis abhinc annum fere unum credidisset eoque animum meum ad studium morbi hujus singularis convertisset, non ineptum mihi visum est ea, quae de diabete mellito scriptores attulerunt, componere et cum iis, quae mea in aegra observavi, quamvis sint parva, comparare eumque ad finem aegrae historiam enarrare.

## LITTERATURA, QUA SUM USUS.

Celsus, Edit. Basiliensis 1748. p. 234.

Burserius de Kanilfeld inst. med. pract. ed. ab Hecker. Lipsiae 1826 Vol. IV. pars II. Cap. XVII.

Joa. Pet. Frank. Behandl. der Krankh. des

Menschen, übersetzt von Sobernheim. Berlin 1830. Bd. V.

Haase. Kur der chronischen Krankheiten. Bd. 3. S. 325 u. f.

Reil. Erkenntniss und Kur der Fieber. Bd. 3. §. 193 — 206.

A. W. de Stosch. Versuch einer Pathologie und Therapie des Diabetes mellitus. Berlin 1828.

Hufeland. v. Diabetes mellitus. s. Journal der prakt. Heilkunde 1827. Julius.

Berndt. Klinische Mittheilungen. Heft II. Greifswalde 1834.

## MORBI DEFINITIO.

Diabetes mellitus (hydrops ad matulam; urorrhoea; polyuresis; diarrhoea urinosa; phthisuria, dipsacus) morbus est chronicus, qui constat in adaucta et saccharum continentis urinae secretione, quam tabes et plerumque mors sequuntur.

## MORBI SYMPTOMATA.

Sunt, qui subito oriri posse diabetem mellitum dicant; quum vero mellitum confudisse

cum aliis nimis auctae urinae speciebus videantur et hoc loco de mellito tantum disputare mihi proposuerim, statim transeo ad prodromos.

Prodromi, qui jam imminentem morbum indicant sunt: laesa digestio cum majore ciborum et potus capiendorum cupidine conjuncta, lassitudo, mutataque animi constitutio tristis et commota; faeces durae, urinae valde aucta secretio.

Stadio prodromorum prius seriusve peracto signa pathognomonica, quibus diabetes mellitus cognoscitur, sunt.

1. Sitis continua atque indelebilis, quae morbi vehementiae semper fere respondet et usque eo increscit, ut aeger oris siccitate motus paulo post poculum a labiis remotum jam iterum maxima cum cupiditate potum arripiat, multique lipothymia afficiantur, quominus cupiditatem expleant impediti.

2. Maxima ciborum cupiditas, quae numquam fere cessat nisi brevi tempore ante mortem; faecium formatio optime fere semper procedit, attamen earum dejectiones rariores sunt, quam quas naturae relinquere possimus.

3. Maxime adaucta urinae quantitas, quae assumtum potus pondus non raro superat, tantaque tamque subita mingendi necessitate aegrotos vexat, ut vix matulae capiendae tempus relinquatur. Plerumque sine difficultate urina emittitur.

4. Maximi autem momenti qualitas est urinae abnormis, quum materies formetur saccharina, quae nullo alio morbo excernitur ex corpore humano.

Color urinae est pallidus, subflavus, seri lactis acidi colori simillimus; odor dulcis valde a sanae urinae odore diversus; sapor salse dulcis, valde penetrans diuque in lingua remanens. Ita adauctum est urinae pondus specificum, ut majus nunquam invenerint physici. Ejus, quam perscrutatus sum, urinae pondus specificum erat 1,0398 temperatura 13° Reaum., dum sana inter 1,005 usque ad 1,030 variat.

Mercurio sublimato corrosivo et spiritu vini rectificatissimo sedimentum effectum est album, copiosum, quod albumen esse ex eo verisimile fit, quod etiam ex urina in balneo Mariae digesta est demissum neque affusa

aqua destillata solvi potuit. Charta exploratoria coerulea, quamvis valde tincta in rubrum mutat colorem, si immittitur urinae diabeticae, quae quum reactio eadem etiam in evaporata aegrotae meae urina esset, perscrutationem in acidum uricum omisi, quod lugeo, quamvis verisimillimum sit, adfuisse, quod nominavi, acidum.

Urea, propria illa urinae substantia, modo plane deest, modo parca invenitur. Etiam in urina aegrotae meae primo experimento uream non inveni; sed in altero spiritus vini alcoholisatus, quo urinam in balneo Mariae ad extracti consistentiam evaporatam tractaveram nonnullis horis, postquam acidum affuderam nitricum, crystallos demisit quamvis parcos et parvos, sapore tamen, forma et formationis modo pro urea habendos.

Vapores non ingratos exhalat urina diabeticorum in balneo Mariae tractata, dum valde ingrati sunt urinae sanae eodem modo effecti vapores.

Residuum, cujus drachma dimidia ad unam ex libra restat medicinali, sapore et odore mellis est, cui sal est admixtum, quod fla-

grantem ingratissimum praebet nauseosumque saporem. Quod residuum spiritu vini rectificato dissolutum cum modo crystallos sive potius granula sacchari det, modo non det, Berzelius dijudicare non vult, utrum saccharum longa digestione in syrupum mutetur, an duae sint diversae species diabetae melliti, quarum in altera syrupus, in altera saccharum inveniatur. Transformari autem tali modo saccharum in syrupum vidi, quum alteram extracti partem spiritu vini rectificato solverem, alteram multo diutius aqua iterum atque iterum affusa digestam spiritu vini rectificato solverem. Prior pars crystallos dedit sacchari, ex altera saccharum formare non potui, ne evaporatione quidem sub antlia pneumatica peracta.

Residuum facile in fermentationem et vinosam et acidam, difficillime autem in putredinem transit. Alias, quas analysis chemica demonstravit mutationes, hoc loco relinquo, quum minoris sint momenti.

5. Cutis plerumque sicca, membranae pergamenae similis, transspiratione plane fere carens, tamen noctu sudores non sunt rari, qui aegrotae meae tunc levamen tunc auctam las-

situdinem afferebant. Gingiva jam initio rubescit, intumescit, crebrumque sanguinem emittit; dentes vacillant et excidunt, inprimis incisores, id quod eo majores aegris affert molestias, quum tanta eademque carnis copia vesci coacti sint. Lingua plerumque sicca, albo colore obducta, margines rubrae, splendentes.

6. Vires ita tabe conficiuntur, quas iter breve jam ad lipothymiam usque exhauriat. Denique omnium rerum negligentia, fastidium atque sensus mutatio animadvertitur.

Decurrens morbus postquam menses, etiam annos complures duravit, interdum remisit, immo non raro tam diu intermisit, ut sanum jam se credat aeger, plerumque febris lenta ad vesperam associatur, qua eo rapidius usque eo vires conficiantur, ut e leetulo aeger surgere nequeat. Affectiones hydropicae imprimis pedum exoriuntur, lipothymiae frequentes, deliria, sopor, paralyses et mors miserae aegrotum eripit vitae. Non raro phthisis etiam tuberculosa et pituitosa morbo se aggregat, id quod vidi etiam in aegrota mea, quam talibus conditionibus tam diu vitam egisse, mirum mihi visum est.

## OBDUCTIONES.

Nihil fere demonstrarunt obductiones, quod lucem afferat. Renes tunc sanis similes, tunc languidi, laxi, purulenti, calculis urinalibus repleti inventi jam probant neque causam neque sedem in renibus esse sitam, quum quae sint inventa vel accessoria vel effecta magno renum labore esse videantur. Tamen docuerunt medicum attendere semper debere animum ad inflammationem renum chronicam, quae morbi decursum certe accelerat. Ventriculum saepissime valde esse dilatatum ingesta ciborum nimia copia, adhuc notandum est.

## DIAGNOSIS.

Non difficilis est diagnosis, si urinae inspicimus qualitatem, quam jam lingua quamvis minime exercita agnoscit; neque sunt morbi, quibuscum possit confundi. Utrum autem non variae variis effectae corporis mutationibus species sint, alia est quaestio valde difficilis.

## CAUSAE ET SEDES.

Certam quandam corporis dispositionem diabetae mellito favere nondum satis compro-

batum est; attamen dispositionem adesse interdum hereditariam, verisimile videtur. Illa etiam, quam curavi aegra fratrem morbo absumptum esse enarravit, quem secundum omnia, quae attulit, diabetem mellitum fuisse credere debeo.

Occurrit morbus in quavis aetate, utroque in sexu (in feminis maxime post cessatos menses) in robustis aeque atque in debilibus, in divitibus et pauperibus, in moderatam vitam et immodicam agentibus. Plurimum autem haemorrhoides et arthritis, qui morbi alienata morbosaque venositate efficiuntur, valere videntur, itaque etiam eae causae, unde originem ducunt, quos nominavi, morbi, vita sedentaria, continui animi labores etc. etc. Sunt etiam qui in nervis causam posuerint, itaque curas continuas, anxietatem, dolores animum deprimentes, onaniam nimiumque coitus abusum incusaverint. Quum vero nihil sit firmum, sententias, quas difficili hac de re habuerunt scriptores, afferam.

Rollo dicit: Diabetes mellitus morbose aucta est actio ventriculi, et nimia inde dependens secretio et depravatio succi gastrici,

quae acescentia et majore ciborum appetentia manifestatur. Exinde directa via sequitur, materiam saccharinam e cibis evolvi atque educi, deficiente scilicet assimilatione animali.

Materia saccharina, quae chylo continetur, in corpore valente alias mutatur, hic vero haud commutata, ut aliena quaedam substantia educitur. Decurrente morbo organisationis vitia existunt, quae reconvalescentiam non admittunt. Fortasse materia saccharina in ventriculo conformatur et e victu vegetabili in diabete major ejus copia, quam in sano corporis statu educitur. Adaucta urinae secretio nimiam sequitur ventriculi actionem, cujus etiam renes participes fiunt. Nec conformatio aquae in pulmonibus neque haustus potus quidquam conferunt, quum copia urinae emissae semper consumti potus copiae respondeat.

Peter Frank analogiam quandam inter rabiem caninam et diabetem esse contendit, singulare quoddam venenum conformari putans, quod certis causis faventibus evolutum irritatione sua excessum actionis in universo systemate lymphatico efficiat. Inde singula

diabetae symptomata sitim, famem, siccitatem oris, celerem chyli e tractu alimentario in sanguinem transitum, adauctam resorptionem vasculorum lymphaticorum, congestiones sanguinis ad renes explicari conatur.

Hufeland hanc exhibet opinionem: Proxima diabetae causa singularis quaedam alienatio processus chemici in renibus est, per quam e chylo exstinctis ceteris urinae partibus, saccharum educitur, eadem fortasse ratione, qua e substantiis farinosis per acida evolvi potest, qua alienatione chemica organi certa quaedam affinitas ad chylosum sanguinis saccharum efficitur, per quam saccharum simulque cum eo chylus sanguini detrahitur.

De Stosch hanc proposuit theoriam: Proximam diabetae causam in paralysi factoris negativi systematis nervosi automatici magis minusve extensa, quoad hoc systema praeest chylificationi, sitam esse opinatus morbum tabi nervosae adnumerat. Systema nervosum praeest resorptioni materiae per liquefactionem et solutionem organicam hyperanimatae, quae ad efficiendam assimilationem necessaria est. Quae si in sanguine desideratur, imperfecta

efficitur chyli animalisatio atque hyperoxydatio, indeque similis in sanguinis mixtione alienatio sequitur. Chylus in sanguinem commutari nequit, et ut cruda quaedam materia, quae minctione excernitur, in eo remanet. Inde deducit Stosch defectionem ureae et praesentiam materiae saccharinae, tabem et cachexiam universalem.

Berndt hanc proposuit theoriam:

Affectionem demonstrant prodromi organorum digestionis inprimis ventriculi, ex qua vitiata secretio fluidorum ad digestionem necessariorum deducenda est, quam vitiatus in chymo chemismus sequitur. Materia saccharina non quidem forte primo morbi stadio in urina invenitur, sed potius morbo decurrente potus et nutrimenti quantitate producitur. Primum alienationi ventriculi per consensum commota renum irritabilitas accedit, quae cum celeri resorptione fluidorum connexa est. Auctae hujus secretionis urinae sequela comminutio reliquarum est secretionum. Sin vero vitiatus ille chemismus in chymo, cujus natura hucusque nondum satis perspecta est, ulterius procedit, tum recipit conditiones, quae materiam

saccharinam adjuvant, et azoti defectionem efficiunt. Hic chymi character chemicus chylo et sanguini communicatur sensimque in sanguine praevalebit et defectum ureae azoti producti adducet, quomodo diathesin diabeticam conformare poterit. Quem ad gradum si morbus progressus est et fel et ceteri omnes digestionis humores chemicum hunc characterem chymo denuo communicant, et duplex data est causa, non solum ut remaneat illa diathesis, sed etiam ut magis evolvatur et conformetur. Defectio azoti in sanguine causa est, cur sanguis non sit idoneus ad assimilationem organicam, unde postea tabes universalis manat.

Vides, l. b., valde hypothetica esse, quae attulerunt scriptores sagacissimi de morbi causa et sede, neque argumentis satis validis probata. Eo magis certa est

## PROGNOSIS.

Est autem pessima. Sunt quidem exempla morbi sublati, sed rarissima sunt, et quaestio

in multis, utrum intermissio affuerit magna, an sanatus sit aeger. Intermissiones enim non rarae sunt. Meliorem esse prognosin prodromorum et incipientis morbi, quam ubi jam diu duraverit, facile est intellectu, neque dubito fore ut, si ad prodromos animum attendimus, plures morbo infausto eripiamus aegros.

## THERAPIA.

Primum est, ut diaetam regulemus. Plurimi scriptores diaetam valde laudant carneam. Victu igitur utatur aeger carneo vegetabilem fere omnino omittens. Quoad potum optima quae dare potes sunt: aqua frigida, vinum Gallicum fortius, inprimis post coenam, aut si nimii est pretii, vinum ustum; jusculum carnis, cerevisia amara, infusum theae. Gratum etiam ad sitim explendam nec sine vi in morbum ipsum esse videtur, quod meae aegrotae dedi infusum frigide paratum hanc secundum formulam:

℞ Rad. Valerian. min. unc. duas.
Rasum lign. Quassiae drachm. septem.
C. C. M. D. S.

Quartam partem infunde cum aquae communis mensura una. Sepone per xxiv horas saepius agitando. Cola. Per diem sumendum.

Cibus omnis dari potest, qui ex animalibus sumtus est, quam maxime autem fieri potest rejicienda sunt, e vegetabilibus quae sunt composita. Vestimentum aegrorum sit frigus satis propulsans, cutis perspirationem adjuvans. Medicamina, quorum in morbum ipsum vis laudatur sunt:

Opium medicamen secundum omnes fere autores esse videtur, cujus usu si non sanati quidem, diutissimam tamen aegri vitam egerunt; sed necesse est magnae ut dentur doses et in dies augeantur usque eo quod symptomata narcoseos immineant; opium etiam et famem et sitim magnamque simul urinae ubertatem maxime coërcet, ita ut levatione saltem gaudeat aegrotus. Tinctura thebaica eam ob causam grata est forma, quia facillime dosis augeri potest.

Obstructio alvi adaucta majore dosi aloës quod optimum, quum sine periculo diu dari possit, medicamen esse videtur, removenda est.

Creosotum magnam habere in morbum vim et Berndt, qui primus eo usus est, vidit, et praeceptoris illustriss. experientiss. Wolff experimenta, in nosocomio Caritatis facta, probant. Creosotum jam ob saporem et odorem et effectum in telam mucosam optime in pilularum forma datur.

Cuprum sulphurico-ammoniatum J. P. Frank laudavit, multumque valere magnas medicaminis doses Berndt etiam expertus est.

Venaesectionem saepius repetitam jam veteres medici, novissimis autem temporibus inprimis Anglicani adhibuerunt, et magni momenti esse videtur, semper animum ad inflammationem renum occultam chronicam advertere, talemque venae sectione et sanguisugis cucurbitisque pugnare; sed sine tali aliave ejusmodi indicatione sanguinem mittere debilium aegrorum non auderem.

Asa foetida et Valeriana a P. Frank valde sunt laudata. Quassia, China aliaque tonica saepe adhibenda esse ad vires servandas saepiusque cum excitantibus conjungenda, jam

morbi decursus docet. Sed satis jam sit, ut locus adhuc sit ad brevem morbi historiam aegrae, quam quinque fere per menses curavi, enarrandam.

---

## MORBI HISTORIA.

C. Dinter annos nata 38, cholera morbo ante quatuor annos conjuge viduata est sano et firmo. Pater aegrotae morbo alicui acuto, mater septuaginta annos nata infirmitati senectutis incubuerunt. Fratrem jam hos ante decem annos morbus, quem ex omnibus indiciis diabetem mellitum habere coactus sum, eripuit.

De puellae morbis nihil in memoria erat, nisi quod variolis et scarlatina laborasse saepiusque hordeolis se vexatam esse narrabat. Annos natam sedecim se primum menstruasse dixit, ceterum menses statis vicibus consecutos. Annos nata viginti quatuor, viro nupserat, et inter octo annos quatuor peperat sa-

nos infantes, quorum duo morbis acutis absumti sunt, duo valetudine optima gaudent. Et gravida et puerpera semper erat sana, et casu extraordinario nunquam vexata; ad varices autem inde formatos animum non prius attendit, quam quum post irregulares nonnullos mensium fluxus locum notaret dolorificum prurientem in malleolo pedis dextri interno, ibique ulcus multos dolores efficiens se formaret, ex quo sanguinea et tenuis sanies secernebatur. Ulcus, quod majores effecisse cum mensium fluxu dolores aegrota quum non adnotaret, venosum fuisse videtur, artis cura auctumno anni 1835 sanatum est. Vere anni 1836 recrudescens ab homine arte alieno iterum sanatum est, ita ut tunc temporis nil nisi cicatrix alba, rotunda, aspera conspiceretur. Alia symptomata majorem abdominis morbum probantia indagare non potui praeter alvum semper duram. Hysteriae etiam, quam sine materia nominamus, signa parva tantum aderant. Praeterea aegrota semper fere erat sana, paulum tantum laborans modico fluore albo, quem post balneum

frigidum exortum et cum cessantibus mensibus ante hos septem menses evanuisse dixit. Brevi tempore post cessatos menses aegrota saepius solito mingere coacta magnam mirata est urinae quantitatem, simulque vires, quamvis majorem solito et cibi et potus copiam consumeret, in dies deficientes sensit, cujus causam ipsa ad cessatos menses, familiares autem ad dolores de puero morte erepto contulerunt. Tali modo aegra artis auxilio dimidium fere per annum exceptis remediis nonnullis alvum purgantibus a medico, cui obstructiones solum querebatur, datis carebat usque eo, quod de morbo viri ipsi noti audierat, qui diabete affectus erat, a quo mota in policlinicum venit medicum chirurgicum, cui illust. Truestedt praeest meisque tradita est curis. Tunc status ejus hic erat: Facies pallida, cachectica; macies universalis, fames et sitis ingens. Urina, quam die per horam bis saepe mittere coacta est, quam noctu autem duas per horas retinere potuit, intra viginti quatuor horas mensuras Berolinenses decem ad duodecim implevit. Qualitas statim diagnosin dedit cer-

tam. Sapor dulcis cum salso mixtus. Reactio chartae exploratoriae acidum demonstravit, quod evaporando magis magisque erat videndum. Colorem urinae melius describere non possum, quam dicens sero lactis tartaro depurato praeparato fuisse valde similem. Pondus specificum, thermometro Reaumuriano 13° demonstrante, erat 1,039875.

Extractum evaporatione in balneo Mariae paratum dulce erat cum sale mixtum. Primum quod feci experimentum neque ureae crystallos nec saccharum dedit, alterum vero multaque alia uream et saccharum ope spiritus vini etc., id quod jam supra attuli, dederunt. Saccharum plerumque non in crystallos abit, sed uti uvarum saccharum in granula conglomerat, quae facillime chartae satis validae parvam extracti ope spiritus vini rectificati soluti partem iterum atque iterum infundens obtinui. Pars urinae in vitro campana vitrea ad pulverem propulsandum tecta, septimo etiam die acidam habuit reactionem, neque mutata erat, nisi quod paulum turbata erat. Alia, quae de urina adnotanda videbantur, jam supra attuli.

Lingua, si per semihoram non biberat aegrota, valde sicca et calida erat, quod symptoma potus assumtus breve tantum per tempus levabat. Debilitas magna, inprimis si ab edendo aegrota prohibita esset. Incisores dentes carnivores quasi nominandi vacillantes erant, aeque ac si natura hoc etiam loco studium morbosum vegetabilium tantum assimilandorum demonstrare voluisset, quod symptoma in plurimis diabete laborantibus adesse jam attuli.

Pectus non male formatum percutiendo et auscultando iterum atque iterum perscrutatus initio in regione infraclaviculari sonum paulum a normali differentem inveni. Strepitus respiratorius autem minus erat audiendus, quam in sano pectore. Morbo autem decurrente ubi sputa etiam tubercula adesse demonstrarunt cavitatem pectore loquente in parte sinistra indagasse mihi visus sum.

In abdomine nihil inveni, quod a statu differret normali; neque aderat, etiamsi valde premerem, dolor in renum regione. Decurrente autem morbo dolores initio intermitten-

tes tum remittentes facti sanguisugis applicatis saepius levati sunt.

Diabetem mellitum adfuisse igitur firmum est.

Aetiologiae nullum inveni momentum, quod incusant scriptores. Aegrota ipsa ejusque familiares morbum doloribus de mortuo infante tribuerunt, id quod effectum quidem habuisse in corpus, non nego, cui autem talem morbum tribuere non audeo. Utrum cessati mature menses effectum habuerint, fortasse etiam ulcus sanatum, dijudicare nolo.

Prognosin malam fuisse dicere vix opus est et exitus morbi quamquam diutius quam sperare ausus sum dilatus est, nos non errasse docuit.

Remedia quae sunt data erant: Diaeta animalis. Interdum balneum calidum. Tincturae thebaicae bis per diem quinque guttae sumendae, et quinto quoque die duae pro dosi guttae plures. Ad alvum leniter semper evacuandam aegrotae datum est:

℞ Extracti Aloës scrupulum unum
Asae foetidae drachmas duas.

M. f. pilul. numero 70. S. bis 4 per diem sumend.

Quibus praescriptis et addito post nonnullas hebdomades infuso ex Quassiae ligno et Valerianae radice frigide parato utenti aegrae in dies melius fuit. Urinae, quae rarius emittebatur, quantitas tam fuit diminuta, ut decima curae hebdomade jam dimidiam tantum emitteret partem. Urina quamquam saccharinam adhuc demonstravit materiam, tamen minorem ejus, majorem autem ureae quantitatem habuit, ita ut non sine effectu medicatio fuisse videatur. Adnotandum adhuc est, narcoseos prodromos septima demum hebdomade apparuisse, postquam aegra jam usque ad viginti duas guttas bis per diem sumendas venerat.

Tum vero quamvis admonerem, ut cauta esset, aegra curae praescriptis non satis attente respondit, imo etiam fortem refrigerationem corporis sibi contraxit, quam catarrhus et diarrhoea secuta sunt, quae quidem emplastro vesicatorio et infuso Ipecacuanhae cum acido phosphorico levata sunt; catarrhus autem valde malum in pulmones jam morbo affectos habuit effectum, et omnia quae sunt adhibita contemnens tuberculorum emollitio in

dies crescebat. Quum satis tunc esset jucundum tempus, aegrotam admonui, ut rure serum lactis biberet, id quod quatuor per hebdomades non sine pulmonum morbi levatione fecit. Tum autem, ut paucas ad caram diabetae curam non sufficientes res familiares liberis servaret, in nosocomium, quod ad excipiendas aegrotantes civium pauperes mulieres et viduas ante urbis portam Halensem institutum est, transferri studuit, eoque curae meae et observationi erepta est.

Conscribens hanc dissertationem certior factus sum, aegrotam domum rediisse et clinici universitatis medici auxilium quum implorasset commilitonis curis translatam esse, qui duas post hebdomades morte assumtae obductionem fecerit. Quum ad ea, quae invenerit, accipienda eum adirem, mihi renes purulentos et pulmones tuberculosos se invenisse dixit, accuratiorem autem relationem hac de re in dissertatione, quam eundem, quem habui ad finem conscriberet, se esse daturum.

## VITA.

Theodorus Michaëlis natus sum initio anni hujus saeculi XV. Magdeburgi patre pharmacopola et collegii medici, cui Saxonia provincia permissa est, assessore, matre e gente Faulwasseriana, quos morte mihi ereptos lugeo. Fidei addictus sum evangelicae. Postquam octo per annos paedagogium Beat. Mar. Virg., quod Magdeburgi floret, frequentaveram, testimonio maturitatis accepto in hanc almam universitatem Fridericam-Guilelmam tempore Paschali anni MDCCCXXXIV. me contuli, ubi a rectore magnifico Ill. Strauss, tunc fasces tenente, in civium academicorum numerum receptus, et a decano Ill. Busch in

album ordinis medici inscriptus, quatuor per annos his interfui lectionibus:

Ill. Link de botanice, historia naturali et encyclopaedia, Ill. Mitscherlich de chemia et physice, Ill. Mueller de anatomia corporis sani, de anatomia comparata et pathologica, atque de physiologia. Idem et Ill. Schlemm duces mihi fuerunt in arte cadaverum rite dissecandorum, Ill. Schlemm de osteologia, Ill. Weiss de mineralogia, Ill. ab Henning de logice et psychologia, Ill. Kunth de botanice, Cel. Wiegmann de zoologia, Ill. Rust de chirurgia universali et speciali oculique morbis, Cel. Mitscherlich de materia medica, Ill. Horn de pathologia speciali atque pathologia et therapia morborum mentis, Ill. Kluge de arte obstetricia et de ossibus fractis et luxatis, Cel. Froriep de akiurgia et anatomia chirurgica, Ill. Wagner de medicina forensi practica.

Exercitationibus clinicis interfui medicis Ill. Bartels, Ill. Truestedt, Cel. Wolff, Cel.

Barez; chirurgicis Ill. Rust, Cel. Dieffenbach et Ill. de Graefe; ophthalmiatricis Ill. Juengken moderatoribus. Praeter Ill. hos viros Cel. Troschel in medicina practica dux mihi fuit benignus. Idem artem fasciarum applicandarum me docuit. Operationes ophthalmiatricas Ill. Juengken in phantomate, operationes ceteras akiurgicas Ill. Schlemm in cadavere faciendas me docuerunt.

Quibus viris omnibus, maxime de me meritis, quas possum summas ex intimo animo gratias refero.

Tentaminibus et philosophico et medico atque examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore ut, dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

# THESES.

1. Natura in animalibus ex anorganicis organica non producit.
2. Trepanatio prophylactica rejicienda est.
3. In rhinoplastice nunquam galea capitis adhibenda est ad nasum restituendum.
4. Optima coremorphoseos methodus iridectomia.